

dus sit hoc modo τὸ ἔργον τὰ ἄχ' ἢ πειθὼ τις ἐπεκόθητο τοῖσι χείλεσιν. (1)  
 Quae tamen si forte non tam de vocis sono, quam de rerum  
 ab eo propositarum dulcedine ac solatio interpretari malles,  
 adest testimonium sponsae Iesu, quod palatum, quod Hebraeis  
 denotat pronunciationem, Christi dulcissimum fuisse perhibet  
 Cant. V, 16. כֹּחַ מִמְּתָקִים וְכֹלֹ מִחֲמֵדִים *Palatum eius* (Graeci  
 Φάρονξ) *merae dulcedines sunt, totus Iesus desiderabilis est.*  
 Laudat eadem suavissimam pronunciationem Iesu cap. IV, 3.  
 מְרִבְרָךְ נִנְיָהּ *pronunciatio* (Gr. λαλία) *tua pulchra est.* Quan-  
 ta vero in pronunciationis suavitate insit vis aures atque ani-  
 mos hominum permulcendi, ex peritissimo in arte dicendi  
 magistro ac iudice, oratorum graecorum principe cognosci-  
 mus, (2) qui interrogatus, quid esset in toto dicendi genere  
 summum, pronunciationi palmam dedit, eidemque secun-  
 dum ac tertium locum. Igitur cum vix dubio locus relinqua-  
 tur, summam oris iucunditatem, ut reliqua omnia, maxime in  
 Iesu mirabilem fuisse, videamus nunc, quanta quamque stu-  
 penda effecerit opera vox illa Sospitatoris dulcissima. Nolo  
 tamen ea repetere, quae de condito mundo, variisque mira-  
 culis voce filii Dei perfectis dici poterant, sed ea tantum per-  
 censebo vocis Iesu opera, quae tantam eius fuisse vim osten-  
 dunt, ut grandiore ac pleniore, potentiorique vocem  
 in terris nunquam auditam fuisse appareat. Praesto est Apo-  
 stolus, qui mirabilem eius virtutem ex eo opere demonstrat,  
 quod omnem vocis humanae & naturam & vim longissime su-  
 perat, eam enim terram, & quo magis mirere, coelum quo-  
 que movisse docet. Quatuor sunt rei momenta Paulinae ora-  
 tionis magnopere observanda; primum est, vox Iesu terram  
 commovit in deserto Sinai; alterum: eadem concussit terram  
 in

(1) PLINIVS Epist. lib. I. ep. 20. (2) apud QUINTILIANVM  
 Institut. Orat. lib. XI. cap. 3.